



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

123. An donatio facta Ecclesiae nondum constructae, vel Collegio nondum erecto sit valida? Ex quo à fortiori colligitur, Collegio nondum erecto, & Ecclesiae nondum constructae posse concedi priuilegium. ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

nihilominus inter bona humana & temporalia computatur, sicut etiam alia actiones, & iura, quae à Insuperitis bona incorporalia nominantur, ergo postquam haec transeunt in dominium Ecclesiae, omnia sunt Ecclesiastica bona, ac proinde eandem immunitatem iure diuino induunt. Vnde idem exemplum & argumentum sumi potest ex bonis à quocumque inferiori, sed priuato domino Ecclesiae donatis: nam postquam donatio habuit suum effectum, nec donator, nec Rex temporalis potest illa contingere, nisi quantum iura canonica disponunt, vel si quid fuerit in donatione ipsa per aliquod iustum pactum exceptum; ergo idem est de quocumque priuilegio in temporalibus Ecclesiae dato à potestate ciuili, nam cuiuscumque gradus, vel ordinis sit, reuocari non potest per quantumque potestatem ciuilem, licet superior, vel etiam suprema sit. Ita Suar. & post illum Themo in dec. Archiepiscopi Olyssipon. p. 1. dec. 98. n. 21.

Sup. hoc in Ref. preterit. §. vlt. & legem doctrinam alterius Ref. eius not.

2. Notanda est etiam hinc obiter doctrina Bart. in l. qui Rom §. Flauius ff. de verb. sign. dicens, quod eo casu quo res aliqua hac mihi lege donatur, ut post mortem meam perueniat ad Ecclesiam possit donator eiusmodi pactum quandoque me uiuente & superstite reuocare, irreprehensibilem uocant Raph. Cuman. Francisc. de Albergot. referente Paul. de Castr. in d. §. Flauius. p. 1. & ad text. in l. 1. de seru. expor. quo Bart. nititur, respondet, tum scilicet in serui persona loqui, cui cum perfecte ius non acquiratur, minime inquirunt, mirandum est quod reuocari facile possit. Quasi secus sit in Ecclesia, eique ex tali pacto ius perfecte atque irrevocabiliter acquiratur. Et in hanc sententiam allegat Cast. etiam Io. Andr. in addit. ad Speculator. in tit. de inst. edit §. nunc uero aliqua. incip. per superiora, &c. cui sententiae consentaneum esse videtur, quod Ecclesiae ex pacto donationis, non tantum actio personalis, verum etiam dominium, & rei vendicatio acquiratur, l. fin. in fin. C. de sac. Eccl. Iac. Thoming. dec. §. 1. n. 6. & sic sola donantis poenitentia ad acquiritae actionis reuocationem non est sufficiens, quando donatarij interest, eam non reuocari.

3. Itaque dicendum est sententiam Bart. non habere locum, quando pactum donationi appositum in fauorem tertij absentis, conceptum fuit in utilitatem Ecclesiae, pietatisue causa, tunc enim non esse locum poenitentiae docuit Bald. in l. sicut ab initio. in fin. C. de off. & oblig. idem Bald. in l. mandatum, C. mandati. n. 6. Alex. in d. §. Flauius. n. 8. ad fin. in l. si pecuniam, ff. de cond. ob. caus. col. 1. ubi Alex. n. 1. & Bald. N. m. de dote 6. p. prim. §. 1. quibus omnibus adde Mart. Mag. in suo Tr. luv. vid. Historico. Polit. de Advocat. arm. c. 9. n. 109. & 323.

#### RESOL. CXXXII.

An donatio facta Ecclesiae nondum constructae, vel Collegio nondum erecto sit valida?

Ex quo a fortiori colligitur Collegio nondum erecto, & Ecclesiae nondum constructae posse concedi priuilegium. Ex p. 8. tr. 6. Ref. 125.

§. 1. Videtur negatiue respondendum ex c. Abbate sane, §. nec pro eo, de sent. & re iudic. lib. 6. ubi, Praesertim quia monasterio, quod nondum erat, aliqua donatio fieri non debet.

2. Sed ego contrariae sententiae adhaereo; quia licet regulariter, donatio non possit fieri ei, qui nondum existit in rerum natura, ea ratione, quia cum sit contractus, requirit acceptationem, & praesentiam personae, cui res donata acquiratur; tamen secundum probabilem opinionem aliorum, in donatione facta ad pias causas, hoc nunquam deficit; quia Deus, cuius intuitu donatio fit, semper est praesens, & acceptat. Ita Felin. c. de p. 1. n. 7. Moh. l. 2. de inst. disp. 263. vers. Felinus, Thefaur. dec. Pedem. 70. n. 10 Steph. Garc. loc. cit. & alij, quos refert Tiraquell. de priu. pie. caus. prin. 115.

3. Ad textum uero in contrarium allegatum ex cap.

Abbate, respondeo cum Gonz. in reg. 8. Cancell. gloss. §. 7. n. 81. & Grat. 1. 2. discept. for. c. 38. quod illa non est decisio, & sententia Papae, sed allegatio partis, ut patet ex lectura eiusd. text. Nam allegatio vnus partis incipit post princ. à versic. Allegabatur autem pro parte uestra, & durat usque ad versic. Pro parte altera dicebatur: & in prima allegatione continetur dict. versic. Praesertim quia Monasterio, &c. Allegatio autem partis in textibus narrata, non facit ius, in c. dilectus 64. de prob. Gloss. magna vers. Vel sic reuoc. in l. 1. C. quando non petent. par. Roman. cons. 191. incip. Venerabilis, n. 4. Ialon in l. 1. n. 38. ff. de off. eius. Felin. in c. 1. n. 18. de conf.

4. Ex his adde, quod Ecclesiae construendae potest fieri donatio ex causa dotis, ut probat, alijs relatis, Lambert. lib. 1. p. 1. q. 5. a. 10. & Ecclesiae edificatae, reuocari non potest, ut docet idem Lambert. loc. cit. q. 9. a. 4. n. 2.

5. Hinc à fortiori colligitur cum Garcia c. 1. de Beneficijs, p. 5. c. 7. n. 50. Guid. Papa dec. 267 & ibi. Addit. & Panor. in c. ad audientiam. 1. de Eccl. edific. Collegio nondum erecto, & Ecclesiae nondum constructae concedi posse priuilegium. Quoniam futuro Collegio, vel Ecclesiae construendae potest legari, ac haereditas relinqui, l. seruos 17. ff. de alim. seruos. 35. ff. de liber. caus. Panor. in c. nos quidem. n. 2. de test. Angel. cons. 135. incip. Panorm. sub n. 1. Itē futuro officio seruitus imponi potest, l. si seruitus 22. §. futuro ff. de seru. urban. praed. Hinc est, quod non efficitur caducum legatum relictum ad alicuius Ecclesiae constructionem, etiam si locus adificio non fuerit designatus, c. 3. de test. & ibi Glossa verb. in loco, & post omnes resoluit Couarruias ib. n. 12. Ergo Ecclesiae nondum constructae, & Collegio nondum erecto, concedi etiam poterit priuilegium, quod tamen incipit habere vires, quando constructa fuerit Ecclesia, vel erectum Collegium: ac proinde concessio censetur facta ex nunc pro tunc, ut docet Panorm. in d. c. ad audientiam.

#### RESOL. CXXXIV.

An donatio facta Capucinis, Minoribus, PP. Soc. Iesu sit valida?

Et praedictae Religiones possint succedere ab intestato. Et an donatio facta praedictis Religionibus, vel alicui Religioso particulari sit irrita per modum legati? Ex p. 8. tr. 6. Ref. 104.

§. 1. Respondeo, talem donationem invalidam fore, eo quod tam Capucini, & Minoris, quam domus professae Soc. Iesu, sunt incapaces huiusmodi dominiorum; unde nec possunt haec Religiones ab intestato succedere. Propter eandem rationem, quia sunt incapaces perpetui dominij, etiam in communi. Ceterum non esset irrita donatio facta per modum legati, quia cum legatum non sit per modum rei stabilis, ac perpetui redditus, sed per modum temporalis elemosinae, haec Religiones capaces sunt. Et ita docet Amicus in Curs. Theol. t. 5. diff. 18. sect. 7. n. 103.

2. Sed non deserau hinc apponere verba Rodriguez, in sum. t. 1. c. 166. n. 6. ubi sic ait. [La donacion entre vnos hecha a vn Frayle Menor de la regular Obseruancia de que cada año se le den cincuenta ducados por todo el tiempo de su vida para comprar libros, y para estudiar Theologia vale, aunque el que hizo la tal donacion obligga para su paga vna renta de cierta posesion. Esta conclusion prouea Abad, diciendo, que aunque Bartolo se alegue por la parte contraria, como algunos lo contradicron, pero tãbien tiene nuestra conclusion, considerada la mente de sus palabras, y se prouea; porque para esta donacion no se quita la mendicidã que el dicho Frayle professo, pues puede pedir por Dios, lo que le es necesario para sustentur su vida, lo qual se cõfirma, porque vale el legado anal dexado à los Frayles Menores para la lampara del Santissimo Sacramento, y para el culto Diuino, como lo tiene Bart. y Nauar. y mas respõda. de ce